



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Vt omnes Regularium Superiores suos subditos,  
& Religiosos persaepe commoneant de iniuncta omnibus  
obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum,  
& Decretorum ad Officium ...**

**Urban <VIII., Papst>**

**[Romae], 1645**

XXXIV. Confirmatio, & ampliatio Constitutionis Pij IV. editae contra Sacerdotes in confessionibus sacramentalibus P[o]enitentes ad turpia solici tantes. Gregorivs Papa XV, Ad perpetuam rei memoriam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10826**

Confirmatio , & ampliatio Constitutio-  
nis Pij IV. editæ contra Sacerdotes in  
confessionibus sacramentalibus Peñi-  
tententes ad turpia solici tantes.

edita An. D.  
1621.

GREGORIUS PAPA XV.  
*Ad perpetuam rei memoriam.*

Proœmium,

**V**NIVERSI DOMINICI gregis curam,, quamquam immeriti , cælesti di-  
spositione gerentes, sedulò inuigilare te-  
nemur , vt ab omnibus prauis contagijs  
conseruetur immunis , multo que maiori  
studio prouidere , vt omnis pestis ab ijs  
auertatur , quibus alios sanandi officium  
est commissum; ne quod Euangelica scri-  
pta Nos admonent, sale infatuato, non  
sit in quo saliatur , & ad nihilum proficit  
ultra , nisi vt mittatur foras , & concul-  
cetur ab hominibus.

Pontt. contra  
solicitantes  
ad turpia pœ-  
nitentes , le-  
ges edixerunt.

**I.** Quoniam autem à Romanis Pó-  
tificibus predecessoribus nostris quibus-  
dam in locis prouisum fuit, vt impium,,  
ac nefandum scelus, quod non solum in-  
ter Christifideles non esse , sed nec etiam  
nominari debet , procul ab ijs arceatur,  
videlicet vt aliquis Sacerdos ad sacras  
audiendas cōfessiones deputatus, sacro-  
sancto Peñitentiæ Sacramento, folici-  
tando

tando penitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cælesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarū reddatur: idcirco Nos ea, quæ his pernicioſissimis diaboli infidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, prouideñ duximus.

**§. 2.** Alias siquidem à fel. record. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarū litteræ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispaleñ in Regnis Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori generali. Cum sicut nuper &c. pag. 27.

Pius IV. suam  
desuper edi-  
dit const. que  
est supr. p. 2.

**§. 3.** Igitur ut litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbiique locorum inuiolabiliter obseruentur; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, præinseritas litteras huiusmodi, ac omnia & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisq. omnibus & singulis inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiçimus, illasq. non solum in prædictis

Hic Pont. il-  
lum præcipit  
inuiolabilitate  
obseruari.

dictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusuis Christiani orbis partibus firmiter & inviolabiliter obseruari præcipimus, & mandamus.

Imò plenius  
cōtra huius-  
modi solici-  
tantes in cō-  
fessionibus,  
& eorum oc-  
casione dispo-  
nit.

¶.4. Ac præterea, ne in futurum de pena his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, & decernimus, & declaramus, quod omnes & singuli Sacerdotes tam seculares, quam quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum regulares cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quis priuilegio muniti existat, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonestæ, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire; solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio sanctæ Inquisitionis

sitionis severissimè, vt iñfra, puniantur.  
 Et præterea omnes hæreticæ prauitatis  
 Inquisitores, & locorum Ordinarios om-  
 nium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitas-  
 tum, Dominiorum, & locorum vniuersi  
 orbis Christiani in suis quemque Diæce-  
 fibus, & Territorijs per has nostras lit-  
 teras, etiam priuatiuè quo ad omnes  
 alios specialiter, ac perpetuò Iudices  
 delegamus, vt super his cōtra prædictos  
 simul, vel separatim in omnibus, prout  
 in causis Fidei, iuxta Sacrorum Canonū  
 formam, necnon Officij Inquisitionis  
 huiusmodi constitutiones, priuilegia,  
 consuetudines, & decreta diligenter in-  
 quirant, & procedant: & quos in aliquo  
 ex huiusmodi nefarijs excessibus culpa-  
 biles repererint; in eos pro criminum  
 qualitate, & circumstantijs, suspeñ ab  
 executione ordinis, priuationis benefi-  
 ciorum, dignitatum, & officiorum quo-  
 rumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad  
 illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si re-  
 gulares fuerint, exilij, damnationis ad  
 tritemes, & carceres etiam in perpe-  
 tuum absque vlla spe gratiæ, aliasq. pœ-  
 nas decernant, eos quoque, si pro delicti  
 enormitate grauiores pœnas meruerint,  
 debita præcedente degradatione, Curiæ  
 sacerdaci puniendos tradant.

S. 5. Dantes etiam facultatem Vene-  
 C rabi-

Cardinalibus rabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictū tam enormous, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum, generalib. arbitrium circa probationes, & pœnas cōredit.

remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis sit probatio-  
nis, testibus etiam singularibus, concur-  
rentibus præsumptionibus, indicijs, &  
alijs adminiculis, delictum probatum  
esse arbitrio suo indicandi, & Curiæ sa-  
culari, vt præfertur, reum tradendum  
esse, pronunciandi.

**Obstantia;**  
telluntur.

§. 6. Non obstañ omnibus, quæ dictus prædecessor in suis litteris prædictis vo-  
luit non obstarre, cæterisque contrarijs  
quibuscumque.

**Confessores**  
scientes ab  
alijs pœnitē-  
tes, fuisse sol-  
licitatus mo-  
neant eos, vt  
Inquisitorib.  
vel Ordina-  
tis denūciēt.

§. 7. Mandantes omnibus Confessarijs,  
vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse  
ab alijs vt supra solicitatos, moneant de  
obligatione denunciandi solicitantes,  
seu vt præfertur tractantes, Inquisitori-  
bus, seu locorum Ordinarijs prædictis:  
quod si hoc officium prætermiserint, vel  
pœnitentes docuerint non teneri ad de-  
nunciandum Confessarios solicitantes,  
seu tractantes, vt supra; ijdem locorum  
Ordinarij, & Inquisitores illos pro mo-  
do culpæ punire non negligant.

**Transumptis**  
credendum.

§. 8. Volamus autem, vt præsentium  
transumptis, etiam impressis manu ali-  
cuius Notarij publici subscriptis, & si-  
gillo

gillo alicuius personæ in dignitate Ecclæsiastica constitutæ munitis , eadem prorsus fides in iudicio , & extra vbiue habeatur , quæ præsentibus haberetur , si forent exhibitæ , vel ostensæ .

§. 9. Quodque eadem præsentes litteræ , seu illarum exempla ad valvas Basili-  
carum S. Ioannis Lateraneñ , ac Princi-  
pis Apostolorū de Vrbe , & in acie Campi  
Floræ affixæ , omnes ita arctent , & affi-  
ciant , ac si vnicuique personaliter inti-  
matæ fuissent .

Dat. Om̄e apud Sanctam Mariam  
Maiores sub Annulo Piscatoris , die xxx.  
Augusti MDCXXII. Pontificatus No-  
stri Anno secundo.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi  
millesimo sexcentesimo vigesimo secun-  
do , indictione quinta , die vero prima  
mensis Septembris , Pontificatus San-  
ctissimi in Christo Patris , & D. N. D.  
Gregorij diuina prouidetia Papæ XV.  
Anno eius Secundo : retroscripta Con-  
stitutio sive litteræ Apostolicae affixa  
fuerunt ad valvas S. Ioannis Latera-  
neñ , & Principis Apostolorum Basili-  
carum de Vrbe , & in acie Campi Flo-  
ræ , ut moris est , per me Brandimartem  
Latinum Apostolicum Cursorem .

Octavius Spada Magister Cursorum .

Publicatio in  
Vrbe omnes  
afficit.

Dat. P. An. 2.  
die 50. Aug.

C 2 Turif-